ipsi Ill.mo Actori iuxta Inscriptionem eadem factam serviens contra haeredes, et Successores D.ni olim Ill.mi Jois Sigismundi, et alios quosvis in quantum, et prout de Jure in foro fori reservabit.

Nunc intellecto ex supra allegatis totaliter concidisse Jus, quod Ill.ma Domus Ducalis ex Investitura sua in Districtum Piltensem habere se putat, eo quod praeter alias rationes Antecessores, et Sua Celsitudo rem neglexerint, et cum Ordinibus Regni eo nomine nunquam egerint.

Ad reliquas porro Ill.mi Ducis obiectiones respondendum est; scilicet quod a Suecis cessionem, et traditionem Districtus Pilten obtinuerit. Manifestum est autem Suecos pro tunc, ut pote Juris nullius possessores, qui violentia armorum eundem districtum occupaverant, nec tamen pacificam eius possessionem obtinuerant legitimam et de Jure sufficientem traditionem Ill.mo Duci Curlandiae facere nequivisse, quin etiam Ill.mum Ducem in praejudicium Reip.ae de re tali cum hoste agere non debuisse, de quo quidem plura verba facere odiosum foret, sed cum triti, vulgatique Juris sit, quibus modis rerum Dominia licite acquiri possint haec res demonstratione ulteriori non eget. Etenim Regni Sueciae ministri rem non suam, in nullo Jure Ill.mo Duci tradentes